

et concanonicum nostrum ponimus, qui suae memor salutis mansum unum in Lubiziz^a), talentum unum in censu annuo solventem, de suo comparavit eumque pro remedio animae suae huic Misnensi assignavit ecclesiae. Quod videlicet factum idcirco scripto mandare dignum duximus, quatinus et secuturi noverint nos omnes in hoc verbum compromisisse, ut cum ipse Petrus mortis commune debitum solverit, dies obitus eius annuatim de eodem talento recolatur a nobis et a posteris nostris huius ecclesiae filiis in perpetuum. Ne quis autem extraneorum huius securitatem possessionis inquietare praesumat, ne quis etiam domesticorum, quod nihilominus timendum est atque cavendum, hanc nostrae compromissionis formulam in irritum adducere audeat, per flagellum anathematis utrumque repellimus, nostrorumque sigillorum appositione ac fratrum praesentium adtestatione factum hoc rationabile communimus. Quorum testium haec sunt nomina: Theodericus praepositus maior, Guncelinus decanus, Bertranus praepositus de Wrzin, Nicolaus, Vlricus custos, Wipertus scolasticus, Albertus de Lipz, Albertus de Lubene, Sifridus de Pigowe, Nicolaus archidiaconus de Butsin, Heidenricus cellerarius, Geroldus, Petrus de Noscin. Acta sunt haec in principali ecclesia nostra Misnensi, anno ab incarnatione domini millesimo CC° XVI°. Indictione IIIª., pridie Kalendas Junii feliciter.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an blauem Zwirn hängen die Siegel des Bischofs und des Capitels. Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 52.

a) Löbschütz, Par. St. Afra oder Par Lommatzsch, beide im Bezirk Meissen.

No. 86. 1216. 2. Apr.

P. Innocenz III. gibt dem Capitel die Befugniss zur Stiftskirche gehörende, von Bischöfen aber an Laien vergabte Zehnten zurückzunehmen.

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis capitulo Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, ut proventus decimarum ad ecclesiam vestram spectantes, quas episcopi, qui pro tempore vestrae praefuerunt ecclesiae, in feudum laicis concesserunt, de ipsorum manibus ad usus proprios vobis redimere liceat, auctoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Laterani III. Nonas Aprilis pontificatus nostri anno nonodecimo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit der Bleibulle an rothen und gelben seidenen Fäden.

Köhler Cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 54., wo die Bulle ins J. 1217 gesetzt und behauptet wird, das Orig. sei nicht mehr in Meissen zu finden. Beides ist irrig.